



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Cap. V. De personis Parochorum quoad proximum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

5 Statas horas , confuetas processiones , & omne exercitium , tam publicum , quam privatum , diligenter observent ; uti & solitas cantiones Germanicas , antehac à Nobis approbatas , & in usum deductas , ante & post conciones , sub Sacris , Catechismo , & aliis temporibus , decantari faciant .

6 Ad festa Natalitia , quæ modo instant , rite celebranda , ad confessionem , & sacram communionem in iis recipiendam , subditos moneant & moveant .

#### C A P. IV. De personis Parochorum quoad se.

1 IN omnibus se præbeant exemplum bonorum operum , in doctrina , in integritate , in gravitate ; verbum sanum , irreprehensibile ; ut is , qui ex adverso est , vereatur , nil habens malum dicere de ipsis .

2 Scandala & occasiones vitent . unde concubinatus , potationes , ebrietates , rixæ omnes , eliminentur .

3 Orationi instantes fint ; continue occupentur studiis , præsertim controversiarum , caluum & concionum , vel etiam qualibuscumque honestis exercitiis , ne otio subjaceant .

4 Domesticam curam non præponant curæ animarum .

5 Breviarium Romanum quotidie recitent .

6 Missas sèpius in septimana celebrent , juxta constitutiones Synodales ; confiteantur , & testimonia exhibeant .

7 Præparent se ippos jam ad festa , magno zelo & proposito .

8 Se mutuo solentur , ac consilio & auxilio juvent ; consilia ab aliis peritis , in rebus gravioribus , petant ; Decanis suis & Camerariis obedient .

9 Si quid violentiae vel oppositionis & difficultatis à secularibus sentiant , Officiatos Nostros implorent .

10 Quilibet faciat designationem & numerum suorum subditorum dextrè .

11 Omnes Nobis statum Parochiæ , singulis quindecim diebus , transmittant in scripto , vel viciniores ore tenus referant .

#### C A P. V. De personis Parochorum quoad proximum .

1 IN concionibus servent Euangelium præscriptum .

2 In iis contentur etiam potius moralia , & quæ doctrinam spectant , proferre .

3 Allaborent , ut fundamenta fidei bene explicent .

4 Scholas bene disponant pro parvulis .

5 Catechismum habeant , etiam in concionibus adducant .

6 Conentur , omnes ad orthodoxam fidem reducere .

7 Sèpius etiam ipsorum domus visitent , ut conversatione eos acquirant .

8 Ægrotorum curam diligentem habent ; præsertim ne fine Sacramentis , Pœnitentiæ , Eucharistiæ , & Extremæ unctionis , decadant .

9 Curam etiam habeant Catholicorum , in vicinis Parochiis , ubi Prædicantes Augustanæ Confessionis sunt ; ipsis ad suam Ecclesiam & accipienda Sacraenta invitent , in fide confortant ac solentur , & foveant libere , prout pace publicâ Germaniæ continetur .

10 Inquiliinos suos , qui sunt alienæ fidei , publice & privatim instruant , moneant , urgeant .

11 Bono exemplo , sanâ doctrinâ , & morum suavitatem , contentur reducere eos , qui hoc belli & exilii tempore , non ex levitate vel fundamento aliquo , sed coacti , deseruere Catholicam religionem .

12 Non se familiares nimium Prædicantibus Acatholicis faciant ; non verbis scabiosis in ipsis invehantur , sed tantum ut docere videantur in mansuetudine ; compotaciones cum ipsis , & alia , fugiant .

#### C A P. VI. De Pastoribus Orthodoxis , in quorum Parochiis exercitium Augustanæ Confessionis publicum , via pacis publicæ in Germaniâ , tolerandum .

1 H Oras , pro Officio divino constitutas , observent .

2 Et , quo magis acatholicis Ministris cohabit , eò magis supra dicta observent .

*Leclis bisce Decretis , Illustrissimus modico spatio omnes sui officii & circa Pastoralis communis ; ac in Domino hortatus est , ut vocationi , qua in sortem Dei vocati sunt , satisfaciant ; quod si quis tamen nonnulla adhuc propozenda habeat , ea ipsa , die sequenti , coram Illustrissima Sua Celsitudine exponeret , & ulteriora mandata exspectaret . Sicque hec Synodalis conventio finita , & per Illustrissimam Suam Celsitudinem solemniter benedictione omnibus genufluentibus data , singuli dimissi ad propria redierunt .*

*Et quia Ego Ioannes Brogberen , I. V. L. Collegiate Ecclesie S. Ioannis Baptiste & Evangelistæ Ratisbonæ Canonicus , & Pastor in Rimlo , a supra memorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præside in Altuarium hujus sacre Synodi deputatus fui , Decretorum Synodalium promulgationi reliquisque in eâ perractatis interfui ; idcirco iisdem Decretis , in fidem eorundem , propriâ manu subscripsi . Acta sunt hec anno , a partu Virgineo , millesimo sexcentesimo quinquagesimo ,*

Bb. 4 Pon-